

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
de  
indisfolibili nexu  
PHILOSOPHIÆ  
cum  
JVRISPRVDENTIA,  
quam  
OPITVLANTE DEO,

Sub Præsidio  
VIRI  
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI,  
DN.

M. DAN. GVIL. MOLLERI.  
Histor. ac Metaph. Prof. P.

Celeberrimi,

*Domini Patroni atq; Praeceptoris sui*  
*eternum devenerandi,*  
pro

Summis in PHILOSOPHIA Honoribus  
ritè legitimeq; obtinendis,

*Examinis publici loco*  
*finiti*

MARTINVS LVTHERVVS Fästerling/  
Norimb.

*Ad diem 23. Febr. Anno 1684.*

---

ALTDORFI,  
Typis Henrici Meyeri, Universit. Typographi.

m!

Iu sene multumq; dubitavi, quodnam mihi eligendam esset thema, Examinis publici loco, per tra-  
dandum: modo enim hoc, modo iterum aliud mihi proposui. Deniq; post diuturnam considerationem ejusmodi elaborandum putavi, quod sco-  
po studiisq; meis magis magisq; esset conveniens,  
præ ceteris vero illud quod de indissolubili Philosophiae & Ju-  
risprudentiae nexu agit, sub incudem disputationis revocare  
decrevi, quippe quia, nexus quem inter se agnoscunt, ex ipsis Pan-  
declarum voluminibus satis abundeq; appareat; pluscula enim do-  
ctrinae Philosophorum Et imprimis stoicæ, vestigia obseruare ibi  
licet: (neq; tamen idcirco Justiniane Compilatores solum stoicæ  
Philosophie mancipati fuere; sed pro lubitu ex omnibus optima  
quæg; sibi elegerunt, uti hoc quoq; indicatum, i. v. it Dn. D. Schil-  
ter, *JCtus acutissimus* in Phil. Jur. c. I. §. 7. p. m. 8.) hujus igi-  
tur Thematis tractationem, DEO annuente, quatuor abso-  
lam Sectionibus.

## SECTIO I.

Continens Auctorum circa hanc materiam  
sententias.

§. I.

**A** Liquot abhinc Seculis, docti quidem homines, &  
eloquentiae laude hodieq; celebres; veruntamen  
non satis circumspecti, modesti & prudentes, plau-

A 2

stra



stra quædam convitiorum in Philosophiam effudere, eamq; ut vanam, inanem, falsam, stultam, furiosam, aliisq; generis ejusdem nominibus diffamavere.

## II.

Sectatores vero illius tum aliorum tum hujus quoque criminis arguere non dubitarunt, quod ii ad corpus omnia, nihil vero ad mentem referant. Mundi arcana & cœleste hoc templum impiis Disputationibus profanent : Quapropter alii putarunt Jurisprudentiam proflua Philosophia supersedere posse, siquidem sine ulla cognitione philosophica optimi tamen J<sup>C</sup>ti evaserint; sed quam utilis ea superioribus sit Facultatibus, satis prolixè ab aliis evictum, itaq; nolumus hic actum agere, quin potius hæc talia in compendio nosse, cupienti satisfaciet Gisbert. ab I<sup>s</sup>endoorn. *Car. Log. l. i. c. i. q. 5.*

## III.

Præterea etiam nonnulli opinati sunt, Philosophiam Jurisprudentiæ apprime utilem esse, sed eam duntaxat, quæ practicæ nomen sustinet. Philosophiæ vero Theoreticæ usum vel nullum vel peregrinum esse in Jurisprudentia, ceu post plures alios Michael. Wendelerus in *Phil. pract. p. m. 43. §. 3.* Gisbert. ab I<sup>s</sup>endoorn. in *Eth. peripat. l. i. c. i. q. 28. p. m. 29.* M. Cörberus *quest. illust. decad. 4. quest. 8.* & Samuel. Rachelius in *Instit. Jurispr.* hoc ipsum asserere videntur.

## IV.

Nos vero & Practicam & Theoreticam Philosophiam, (ut ea vulgariter dividit solet) Jurisprudentiæ conducere, non tam pro ingenii nostri imbecillitate affirmare non veremur, sed etiam objectionibus, quæ in conflitu ipso affери poterunt, pro viribus satisfacere parati sumus, si uhum adhuc nobis addere licebit, quod nimirum nihil à quopiam possit commode perpendi, nisi mens sit soluta & libera & se grega-

gregata ab omni præconcepta opinione, hoc enim si à quibusdam esset observatum & adhuc observaretur, non tam varia & iniqua iudicia de Philosophia tulissent, interea tamen legi hac de re meretur *Valent. Berg. in Disp. ad Philos. p. m. §. 1.*

## SECTIO II.

Statum controversiæ sistens, terminosq; ejus evolvens.

## §. I.

**P**Hilosophiæ nomine non intelligimus illam squalidam & personatam quam vulgus hodie tantum novit, sed eam, quæ mores componit, marcentia in nobis excitat, soluta constringit, contumacia domat, cupiditates & privatas & publicas coërcet. Neq; enim Philosophia populare est artificium, nec etiam adhibetur ut aliqua oblatione consumantur dies, & ut dematur otio naufea, sed potius ut agenda & omittenda demonstret, ut affectibus frænum injiciat, mentem à corpore deducat, animum Deo ac rectæ rationi subjiciat, & animo ceteras res humanas.

## II.

Proinde non possunt non ea nobis placere, quæ ingeniosissimus naturæ scrutator Anton. le Grand hunc in modum de Philosophia annotavit : *Philosophia*, inquiens, *si nominis etymologiam spectemus, sapientia amor est ac studium: at vocabulo sapientia nihil aliud quam mentis dispositio intelligitur, qua homo ad rite sentiendum de rebus impellitur, quæ ejus perceptioni occurunt, & ad equum de iis actionibus examen instituendum, quæ ad vitam ejus pertinent.*

## III.

Jurisprudentiæ naturam nemo melius ipso Justiniano Imperatore indagavit, is enim in §. 1. *Instit. de J. & J.* ita eam de-

*finit: Jurisprudentia est divinarum atq; humanarum rerum notitia justi atq; injustis scientia. Ubi per res divinas atq; humanas optime beatus noster Ludvvell. in Comm. ad h. §. objectum Jurisprudentiae explicat, in quantum de iis Jus & Justitia est. administranda, Justitia scil. universalis, quam non solum textus quamplurimi, sed & praeceptorum propositorum generalitas evincunt, quibus insuper Auctoritas accedit VIRORUM Consultissimorum, eandem hanc sententiam comprobantium calculo suo, quorum alter DN. D. LINCKIUS, alter vero DN. D. GINGERUS, utriq; VIRI incomparabiles & undiquaq; Celeberrimi, Domini Patroni ac Praeceptores mei atatem colendi, ille quidem in Collegio privato Pand. iste vero in Collegio Inst.*

## IV.

Ceterum distinguenda est Jurisprudentia universalis à Jurisprudentia Romana, ut enim Jurisprudentiae Romanae magna sit dignitas & auctoritas, multò tamen major est Jurisprudentiae universalis, universum genus humanum attinentis. Jurisprudentia, quippe universalis absolute considerata tantum circa jura naturae est occupata, quibus, cum omnes homines obligentur, in quacunq; vixerint Republica; hoc sibi nomen merito vindicat. Jurisprudentiae autem Romanæ libri non tantum sua & Romana Jura complectuntur, legibus merè arbitrariis proposita, sed & eximias juris naturalis commentationes.

## V.

Quando igitur dicimus indissolubilem nexus esse Philosophiae cum Jurisprudentia, hoc præcipue intendimus, Philosophiam & Jurisprudentiam quam maximè universalem, nec non Romanam, quoad sua placita eidem superstrutam tam firmo invicem colligatam esse vinculo, ut neutra sine altera vel disci commode vel doceri vel exerceri queat: Indeq; quam plurima ex Philosophiae fontibus Juris Studioso

dioso haurienda esse, nemo nisi minus exercitatus affirmaverit.

## SECTIO III.

Sententiæ nostræ veritatem adstruens.

## §. I.

*Si jam paulo ante adducta, penitus inspicere non detretum est, manifestum evadet, Jurisprudentiam non aliunde, quam à mentis dispositione originem trahere, mediante qua, homo Jurisprudentiae deditus, non tam leges proponere, sed & de rebus ipsis Jus & Justitiam administrare impellitur, ac proinde differentia, quæ inter Philosophiam Moralem & Jurisprudentiam constitui afferat, in eo præcipue consistit, quod illa actiones rectæ rationi convenientes suadeat, ista vero hominem ad easdem perficiendas sub spe consequendi boni adjurat & adstringat, negligentes autem prorsus vel iis adversantes metu subeundæ poenæ terreat.*

## II.

*Ipsa igitur Jurisprudentia cum disciplina sit practica (vulgo enim ita audit) quam optime etiam ex Philosophia practica deduci potest, atq; quam maxime omnem Philosophiam practicam sibi adjungi cupit, neq; eo ipso, (quasi à ceteris Philosophiæ partibus Jurisprudentia soluta aut disjuncta esset) putandum erit, doctrinam quippe Moralem in Physica, Physicam in Metaphysica, radicari ac fundari, notius est quam ut fusè à nobis demonstrari demum debat, Metaphysicam vero cum Mathematica affinitatem habere, affirmatui itidem est facile, quippe Mathematica & Philosophia prima, (verba lubet adducere, quæ habet Excell. DN. PRESSES in Programm. de Preparat. abitur. in Ital. pag. 33.) hoc inter se proprie convenient, quod cognitionem utraq;*

per-

persequitur formarum, quoad immobiles & à concretione materiæ sunt liberæ. Sanè *Hugo Grotius*, at quantus Vir, in Methodo suâ svadet futuro JCto, ut etiam Metaphysicam probè addiscat: nam etsi nesciat Juris Studiosus *cui bono ipſi sit Metaphysica aut Philosophia*, admissus deinde ad Facultatem sentit commodum, ceu plura huc spectantia legi queunt apud *J. C. Dannhauv. Id. Bon. Disp. sect. 2. §. 94. p. 327.*

*III.*

Ciceronem alicubi scripsisse constat *Jurisprudentiam non esse è Prætoris Edicto, neq; è XII. Tabb.* Sed penitus ex Philosophie fonte hauriendam, cum *Jurisprudentiæ naevos haud rectius quempiam correcturum, aut opinionum perplexitatem extricaturum, aut potiorem æquitatis quam juris rationem habiturum existimemus, quam subsidiaria Philosophiæ opera adhibita.*

*IV.*

Et ipsa experientia rerum omnium magistra nobis inculcat, eos qui debitam Philosophiæ operam navarunt, & præter exquisitam rerum cognitionem, circumspecta prudentia usi fuere, multo facilius invenire ac perspicere potuisse, quid agendum judicandumve sit, tum quoad factum ipsum, tum quod ad singulas attinebat circumstantias, quam Philosophiam non attingentes, aut non nisi primis labris degustantes *Juris studium*, utcunq; diligentes, tumultuarie tamen versarunt.

*V.*

Nimirum hi ipsi non inconcinne iis Nautis similes esse possunt dici, qui gubernaculo & ancoravelsq; perditis, cuivis tempestati & fluctibus suum navigium committunt, & modo in portum satis commodum forte fortuna deferruntur, modo in brevia incidunt. E contrario illi, qui æquitatis latices Philosophicis adminiculis elicere norunt, solidioremq;

-dioremq; Philosophiæ apparatus ad Jurisprudentiam attulerint, Nautis cum ejusmodi non immerito comparari queunt, qui gubernaculo, ancora, velisq; recte instructi, quam sibi præfixere metam, sine ullo fortunæ ludibrio, aut minima spei frustratione attingunt.

*VI.*

Quod ipsum laudabilis suo exemplo quondam comprobarunt JCti maximi nominis *Bachovius, Suholtus, Scipio Gentilis, Gaddius, Gifnius, Rittershusius, Lauterbachius* aliiq; qui uti JCti fuere absolutissimi, ita quoque jure suo Philosophi eminentissimi nominari debent, multa enim more Philosophorum conscripserunt opera, quæ adhuc magni æstimantur ac æstimari debent, ob insignem eorundem utilitatem, quam non solum Cultores legum, sed & alii Eruditi ex iis habere ac percipere possunt.

*VII.*

Et profecto nisi quis totus pertinacia sit occæcatus, fateri cogitur, eos qui frequentius saniori inhæserunt Philosophiæ, plus æqui & boni eruere ex *Jurisprudentiæ legibus*: quam alios, qui eam haud curarunt: saepè enim saepius *Jurisprudentiæ leges explicationem desiderant*: etenim latores non omnia legibus comprehendenterunt, nec ad omnes facti species descenderunt, sed generaliter, quæ fieri debent, præscripserunt, ideoq; ea parte, qua deficiunt correctionem & directionem requirunt, eam vero nulli alii melius Philosophiæ peritis subministrare valent. Quippe qui rem per caussam cognoscere docent, ita quidem, ut intellectui certò constet, hanc vel illam notitiam ex hac vel illa caussa indubitatò sequi.

*VIII.*

Quapropter sola Philosophia Juris-Consultum à prævis, erroneis & illaudatis consiliis retrahit, firmiterq; præser-

vat, ne circumveniri ullo queat modo; quod quidem facile alias fieri potest, in tali præsertim homine, qui nullam rerum habet cognitionem, is enim uti plurimorum ludificationibus est expositus, ita sæpius etiam fraudulenter decipitur. Proinde nihil miserius, aliquis esse dixerit homine Aphilosopho, negligit enim animum, quo nihil præstantius, se ipsum ignorat, quo nihil turpius, ut ita docti nomen tueri nequeat, nedum JCTi, qui Philosophiam penitus ignorat.

## XI.

Et certe Deus nulla majori clade Rempublicam afflere potest, quam si eidem Juris peritum præficiat Philosophiæ imperitum, neque enim dici potest, quam multa & quam noxia inde oriantur mala, præsertim si is totus dependeat ab aliorum judicio, neq; per suam scientiam Rempublicam administret, sed per alienam, atq; ita longe melius mihi facere videntur ii, qui Philosophiam cum Jurisprudentia ita conjungunt, ut indissolubilis eorum sit, maneatq; nexus: Vita quippe sine Philosophia mors est, & vi vi hominis præcipue Juris periti, sepultura.

## X.

Deniq; haud paucos praxis quotidiana juris subministrat casus, quorum decisio fundamentalis, sine exquisita Philosophiæ cognitione haberi nequit; ita e.g. communissima alias collectio est ista, virgo lac habet, ergo peperit: aut saltem rem cum viro habuit, quod tamen ita simpliciter asserendum non est, distinguendum enim prius, inter lac propriæ dictum, & inter album humorem speciem lactis habentem, illius quidem præsentia viri consuetudinem arguit, non verò hujus. Hinc quando viri etiam aliqui lac habere dicuntur, tunc ex Physicorum schola constat, quod sublatto lactis organo præcipuo, lac quoque tollatur: glandulis namq;

namq; laetiferis & venis viri sunt destituti, itaq; nec lac generare possunt, licet interdum in Virorum mmam illis quid inventum, non tam res, quam similitudo lactis fuit, scil. humor albus lacti similis, qui tamen ad nutritionem perfectam prorsus inhabilis. Et sit, quicquid sit, singularia hæc sunt, at scientiam parit universale. Sic de partus etiam tempore variæ agitari solent quæstiones, an videlicet partus septimestris, octimestris, decimestris, undecimestris & duodecimestris sint legitimi, de quibus Juris periti judicium ferre non possunt, nisi consultis prius Physicis, uti quidem harum & similiūm aliarum controversiarum elegantes & accuratas decisiones reperire licet, apud naturæ Consultiss. Paul. Zach. in libro prorsus aureo quest. Medico-Legalium.

## XI.

Ciceronem amplius si consulere velimus, is de Philosophia tale tulit judicium in *Tusc. quest. Philosophia*, inquit, *est mater omnium artium ac scientiarum*: Quod quidem ipsum, licet inductione omnium scientiarum probare & ad oculum demonstrare nobis in proclivi esset, speciatim tamen ex Jurisprudentia id luculenter appetit, Jurisprudentiam prorsus cum Philosophia indissolubiliter cohærere. Ut illos filentio involvam, qui solius accurrioris Philosophiæ ope, non tam admirandos in Jurisprudentia progressus brevissimum intra temporis spatium fecere, quam etiam rarissimos in eadem effectus edidere.

## XII.

Uti verò Philosophiæ fulcrum historia dici meretur, ita Historiarum cognitione, eos quoque exæcte imbutos necesse erit, qui ad Jurisprudentiæ studium fese conferre desiderant. Sane, nullus (audacter cum quibusdam viris eruditioribus pronunciamus) nullus, inquam, *illustris est in Jure titulus, qui ab Historia & consequenter etiam à Philosophia lucem non accipiat aliquam.*

## XIII.

De arte utendi recte Ratione seu Logica, nihil jam magnopere dicemus, ea enim tota in docendo occupatur, quo pacto quis de rebus cognoscendis ac judicandis cogitationes suas formare queat; proinde ea in Jurisprudentia descendenda tanto magis necessaria, quanto magis Jus & Justitiam administrare cupimus.

## SECTIO IV.

## Sententiæ contrariæ falsitatem redarguens.

## §. I.

IN oppugnanda & pro cuiuslibet animi sententia expugnanda Philosophiæ arce, quamvis variis machinarum, arietum actelorum generibus utantur, atq; uti possint antagonistæ, ea tamen nec omnia, sed aliqua, nec multa, sed pauciora hic adducere constituimus; partim quod singula recensere sit fere impossibile, partim quod plura proferre sit inutile, quippe quoniam uno vel altero in casum dato, reliquorum fundamenta, una eademq; opera subvertuntur.

## II.

Prima igitur in percutiendo Philosophiæ muro balista, in eo consistit: quando nimirum adversarii dicunt: Philosophiam non ad consuetudines in Republica aliqua observatas respicere, sed tantum corrigere quid vel innovare, unde tale confici solet argumentum. Si Philosophia non ad consuetudines in Republica receptas respicit, sed tantum eas innovat atq; corrigit, sequitur quod Jurisprudentia cum Philosophia non cohæret nexus indissolubili: Atqui verum est prius nempe quod, Philosophia non respiciat ad consuetudines in Republica jam receptas, sed tantum eas innovat atq; corrigit E. & posterius quod nimirum Jurisprudentia cum Philosophia non cohæret nexus indissolubili.

bili. Atq; ne sine ulla probationis specie hæc talia proferre videantur autores, tunc probationem suam quam maxime defumunt inde, nempe quod experientia ipsa testetur Philosophiam, si latum unguem aliquid ab ejus rationibus, terminis & loquendi genere differat, statim id corrigere immutare ac reprobare, quod tamen saepius Reipublicæ haud parum noceat. Deinde dicunt Jurisprudentiam è contrario semel à se introductas leges & consuetudines receptas, quam strictissime observare, neq; eas nisi summo necessitatis casu corrigere & immutare, unde ulterius concludunt, dicentes: Philosophiam & Jurisprudentiam hoc pacto esse contradictionis, neq; simili & semel stare posse, multo minus indissolubili nexu junctas esse, quin potius posita Jurisprudentia tolli Philosophiam, & posita Philosophia tolli Jurisprudentiam.

## III.

Antequam responsio ad hanc objectionem afferatur, non in congruum erit, si prius syllogismum istum conditionalem ad aliquem primæ figuræ modum deduxerimus, ut eo melius responsionis nervus intelligi queat, fundatum enim syllogisticum, cum in prima figura maxime sit conspicuum, ideoq; expeditius solutio inde eruitur. Proinde argumentamur hunc in modum: Quicquid non ad consuetudines in Republica jam receptas respicit, sed tantum eas innovat atq; corrigit, id cum Jurisprudentia non cohæret nexus indissolubili. Atqui Philosophia non ad consuetudines in Republica jam receptas respicit, sed tantum eas innovat atq; corrigit E. Philosophia cum Jurisprudentia non cohæret nexus indissolubili. Jam respondemus ad majorem, prævia connexionis ejusdem negatione, distinguendo inter consuetudines requisita æquitatis, honestatis & utilitatis habentes, & inter eas requisita essentialia non ha-

bentes, priori modo si consuetudines intelligere velint, tunc haud quamquam concedimus, quod Philosophia eas ullo modo immutandas sibi sumat, sed potius rationibus validissimis confirmare nitatur, fin vero posteriori modo consuetudines introductas sumant, manifestum evadet, non tantum Philosophiam recte facere eas improbando, immutando & rejiciendo, sed & Jurisprudentiam ipsam hoc intendere, quae nihil, nisi quod cum æquo, recto & justo convenit, tolerare potest. Novimus enim Jctos quosq; Celeberrimos & praxin quoque quotidianam, ad instar palmarii in Jurisprudentia requisiti habere rationem, novimus etiam omne Jus uti debere ratione aliqua, licet ea non semper adeo facile promteq; reddi queat, atq; ratio illa debet consistere in honestate & æquitate, ita tamen ut semper ad Reipublicæ cuiusvis statum & utilitatem respectus habeatur, iis enim consideratis, non potest improbari, si consuetudines interdum in hac vel illa Republica mutentur. Haud quamquam igitur majoris supra allati connexio tolerari potest, non enim sequitur, quicquid consuetudines alicujus Reipublicæ immutat, illud non cohæret indissolubili cum Jurisprudentia nexus. Limitamus igitur majorem, & dicimus quicquid consuetudines alicujus Reipublicæ sine ratione &c. immutat, & sic negatur minor, quin potius invertimus argumentum & dicimus, quicquid consuetudines alicujus Reipublicæ ita corrigit & immutat, ut Status Reipublicæ melior reddatur, illud cohæret indissolubili cum Jurisprudentia nexus. Atqui: Philosophia consuetudines alicujus Reipublicæ ita corrigit & immutat, ut Status Reipublicæ melior reddatur E. Philosophia cohæret indissolubili cum Jurisprudentia nexus. Quibus ita positis minor etiam allati supra argumenti non erit admittenda, siquidem Philosophia non immutat consuetudines, quas nondum bene perspexit, sed

sed accuratissime demum perspectas, si observaverit minus eas Reipublicæ conducere, corrigit, inque meliorem statum deducere laborat. Quid quod etiam Philosophiam, (nontamen simpliciter ut Philosophiam, sed ut Jurisprudentiae adsociatam) circa Reipublicæ consuetudines examinandas versari posse non dubitamus.

## IV.

*Secunda* objectio huic argumentandi formæ includitur: Quodcumq; solum versatur in inquisitione ejus, quod non tam cedit in usum Reipublicæ, quam potius detrimentum, insimulq; efficit ut non tam verissimis aliorum sententiis credamus, quam nostræ pertinaciter inhæreamus, & quamlibet rem, ingenii ostendendi gratia, in Disputationem vocemus, illud neutiquam cum Jurisprudentia cohæret nexus indissolubili. Atqui: Philosophia solum versatur in inquisitione ejus, quod non tam cedit in usum Reipublicæ, quam potius detrimentum, insimulq; efficit, ut non tam verissimis aliorum sententiis credamus, quam nostræ pertinaciter inhæreamus, & quamlibet rem, ingenii ostendendi gratia in Disputationem vocemus E. Philosophia neutiquam cum Jurisprudentia cohæret nexus indissolubili. Major extra dubitationis periculum posita esse creditur, proinde haud opus esse ulla ad eam probandum ratione. Minor itidem pro manifesta habetur, quippe quod aperte constet, Physicam, Metaphysicam aliasq; Philosophiæ partes solum in inquisitione ejus versari, quod Reipublicæ commodum non promovet, sed potius impedit ac aufert. Verum enim vero utut majorem recte consideratam admittere queamus, Minorem tamen ita simpliciter concedere non possumus. Etenim quis, nisi Philosophiæ genuinæ ignarus afferendum sibi sumet, Philosophiam in inquisitione eorum versari, quæ in detrimentum cedunt Reipublicæ, aut quæ disputaces

taces solum faciat homines? Censemus itaque esse distingendum (1) inter Philosophiam veram & simulatam seu spuriam. (2) Inter Disputationem ceu necessariam veri consequendi scaturiginem & inter Disputationem ceu vanum altercandi pruritum. (3) Inter modestum sententiarum etiam verissimarum examen, & inter immodestam quarumvis sententiarum exagitationem. (4) Inter inquisitionem eorum, quae in detrimentum cedunt Reipublicae, approbativam & reprobatiyam. Secundum priora distinctionum membra minorem negamus, secundum posteriora vero concedimus totum argumentum.

## V.

*Tertia objectio* peti solet ab aliorum auctoritate, qui dicunt, quod ii, qui in addiscenda Philosophia multum adhibuerunt diligentia, inutiles prossus consenserint, nec quicquam laudabile, aut utile vel in societate humana vel in negotiis publicis praesterint: Sed adhæc & id genus alia responderi posse putamus (1) distinguendo, inter eos qui Reipublicae profunt directe, & inter eos qui eidem profunt indirecte. (2) Inter eos qui in Philosophia genuina consenserint & illi magnam utilitatem negotiis civilibus afferre queunt, & inter eos, qui in Philosophia spuria consenserint, & illi nullam utilitatem negotiis civilibus afferunt. (3) Inter id, quod fit per se, & quod fit per accidens. (4) Inter id quod fit semper, & quod interdum.

## VI.

*Quarta objectio* ex ipsa Philosophiae voce desumitur, dicunt enim aliqui Philosophiae vocem, multo recentiorem esse, quam ut indissolubili nexu cum Jurisprudentia ab ipso statim mundi exordio potuerit esse conjuncta; siquidem Philosophiae appellatio sit in Græcia nata, Græcia vero demum vel à græco viro aliquo vel à græco rege quodam

prisco

prisco denominatam esse, Græcorumq; Monarchiam præterpropter A. M. 3622. coepisse. Sed responsione adhuc non destituimur, dicimus itaq; Philosophiam una cum condito Adamo statim originem sumsisse, atque simul ac homo extitit, etiam Philosophiam extitisse, deinde verba huc quadrare videntur, quæ Iſaacus Casaubonus in not. ad Diog. Laërt. Procœm. habet, b. m. *Philosophia græca vox est non barbara, ergo Philosophia à Gracis inventa est, non à Barbaris; pari Jure Romanis dicere liceat, Medicinam à se inventam, quia Medicina appellatio sit Romana non barbara, & ut Cic. ait in Tusc. quest. I. 5. c. 2. p. m. 247. l. t. b. sub fin.* Quam rem antiquissimam, cum videamus, nomen tamen confitemur esse recens. Nam sapientiam quidem è ipsam quis negare potest non modo re esse antiquam, verum etiam nomine? Quæ divinarum humanarumq; rerum, tum initiorum, causarumq; tum cuiusq; rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos assequebatur.

## VII.

Nondum tamen adhuc adversarii desistunt, sed præterea objiciunt & illud, quod Philosophia in varias sectas sit divisa, quarum una quæq; omnes alias evertit, ut se suaq; confirmet, & sicut alias tollit sectas, sic ipsa quoque ab aliis tollitur omnibus, ita ut intestino quasi dissidio & civili bello confici & consumi videatur: Argumentum eorum ita habet: Quæcunq; disciplina in multas est divisa sectas, quarum una quæq; alias omnes evertit, ut se suaq; confirmet, illa vero ipsa quoq; ab aliis tollitur, ita ut intestino quasi dissidio & civili bello confici & consumi videatur, illius disciplinæ cum Jurisprudentia nexus est nullus. Atqui Philosophia in multas est divisa sectas, quarum unaquæq; alias omnes evertit, ut se suaq; confirmet, illa vero ipsa quoque ab aliis tollitur, ita ut intestino quasi dissidio & civili bello confici & consumi videatur. E. Philosophiae cum Juris-

C

pru-

prudentia nexus est nullus. Major iterum extra dubitatio-  
nis aleam est posita. Jurisprudentia enim firmis innititur  
principiis, quæ destrui non possunt, nisi insimul totum ever-  
tatur Jus naturæ, quod tamen impossibile. Ad demonstran-  
dam vero minorem probationes è longinquò petere nihil  
opus est. Cum Philosophorum aliqui res scientia com-  
prehendi, alii vero nihil scire nos posse contendant, atq;  
ita quandam non philosophandi Philosophiam constituant,  
inter illos vero quorum studium in disponendo vitæ statu  
& moribus formandis consumitur, mirum profecto, quan-  
ta, & quam varia discrepantium sententiarum dissidia in  
eo se offerunt, in quo tamen totius sapientiæ civilis cardo  
versatur, dum alii summum hominis bonum in voluptate  
animi, alii in voluptate corporis positum esse, censem, alii  
cum voluptate honestatem conjungunt, alii doloris priva-  
tione, alii in scientia, alii in virtute & honestate, vel quod  
idem est in virtutis usu, alii deniq; in re alia collocant. Sed  
respondemus iterum iterumq; ad majorem, distinguendo  
scil. inter disciplinam principia falsa subyertentem secun-  
dum fundamenta rectæ rationis, & inter eam, quæ ex solo  
contradicendi pruritu hoc facit, priori modo si sumatur ma-  
jor propositio, concedo, quod Philosophia vera aliorum  
principia falsa subvertat, ut eo magis sua confirmet; si vero  
posteriori modo, nego minorem, quod Philosophia ex so-  
lo contradicendi pruritu, hoc peragat, sed potius ratio-  
ne veri indagandi: Præterea si ob sententiarum diversita-  
tem & sectarum pluralitatem sinistrum de Philosophia fer-  
re licebit judicium, quid de Christianismo, sive Religione  
Christianæ universa dicemus, quam non hodie tantum, sed  
olim etiam à primo statim illius ortu, in numeris fere per-  
niciosissimarum hæresium factionibus vexatam & distra-  
ctam fuisse constat. Quapropter uti vera Religio contra  
omnes

omnes Satanæ machinationes, & Sociorum ejus telaq;  
ignesq; tanquam Marpesia Cautes immota subsistit, ita vi-  
cissim Philosophia non simulata adversus rabidos vexatissi-  
morum argumentorum insultus incolmis permanebit.

*VIII.*

Alia adhuc forent, quæ nobis objici possent, at quo-  
niā ea notiora sunt, quam ut hic adducantur, merito ea  
mittimus, ac chartæ parcimus, interim Lectorem Benevo-  
lum, eo ceu par est honore petimus, velit ea, quæ haec tenus  
à Nobis sunt allata, bene interpretari, quæ vero, ut libenter  
fatemur, sunt omissa ac minus concinne posita, partim li-  
brorum defectui, partim primo Disputationis scribendæ  
conamini, quām maximè autem judicii adhuc imbecillitat<sup>i</sup>  
imputare.

---

*C O R O L L A R I A.**I.*

*Judicium Scaligeri, nisi una alterave impediisset ratio, fere ap-  
probassemus, qui quoties saltationes viderit, dicebat, se non  
posse cernere majores in orbe ineptias, quam si mares  
ac foeminæ ad membranæ strepitum, aut chordæ soni-  
tum, se invicem manibus apprehendere soleant, ac pi-  
carum simiarumq; instar exsiliant, tripudient, gyros  
efficient, & quæ harum ineptiarum plures secundum  
mentem illius. Nos' verò rationibus edocti, saltationes (nisi  
in malum instituantur finem) magni estimamus, laudamusve,  
nec verò judicio modo adducto subscribimus.*

*II.*

*Porrò ex Meditat. Polit. Celeberrimi Beccanni affirmare non  
erubescimus, sexui fæmineo præcedentiam esse concedendam.*

*III.*

*Virginitatem verò esse & non esse in prædicamento defendimus.*

*Quæ*

Uæ sanæ Sophiæ connectant vincula Jura,

His doctè chartis, dulcis Amice! probas.

Gratulor ex animo, doctè sic scribere perge,  
Et Tibi cum Sophiâ præmia Jura dabunt.

*Hicce Supremos in Philosophia Honores,  
Candidato eorundem optumo atq; LL.  
Cultori solertissimo, Suo Fasterlingio,  
mœsto quidem inter calamitates dome-  
sticas, sincero tamen animo, faustos  
felicesq; esse jubet*

HEINRICUS LINDE/ D.

\*\*\*\*\* Isthinda Gemmis quid Laquearia,

Et grandiorum Pyramidum situs

Cœlo maritatus juvabit?

Si Basis baud stabilita surgat.

Fultura sic nî Philosophi è penu

Depromta Juris Pegmata sustinet

Obryzo & Argento polita,

Næ celeri pereunt ruinâ

Martine felix es, Sophiæ Basin

Qui Juris amplis substruis Ædibus:

His ritè iudicis, ex utrisq;

DOCTOR eris solidè eruditus.

Quâ ipsâ tristrophâ Odula

Clarissimo D N. CANDIDATO,

cum pro Supremis in Philosophiâ Honoribus

obtinendis

publicè disputaret,

animitus gratulatur

P R A E S E S.

ÆC:(O):S\*